

poterant, prætermittunt : nulla quies ea nocte fuit ; ad certamen postridie ineundum animos, corporaque comparant ; omnes certatim operibus insistant : duces huc, atque illuc discursant ; qua magis opus erat, succurrunt. Bragadenus omnia circumspicere, cunctis locis adesse, milites hortari, fortitudine, & prudentia militis, ac ducis munera obire. Qui cum ad Amathi munitionem, ubi frequentiores milites, ac cives erant, substitisset, *Jam*, inquit, *gregii cives, fortissimi milites, quod maxime exoptastis, unico certamine supremum virtutis ac fortitudinis vestrae periculum est faciendum ; in quo, nisi me fallit animus, devicti hostis, servate patriæ, atque nobilissimi istius regni eximiam laudem toto orbe retuleritis ; nisi ab hesternâ die, in qua fortiter adeo scandentes Turcas repulistis, omnia immutata sint. Idem certe est hostis, iidem vos fortissima hujusce urbis munimenta. Ille multitudine tantum, non vera virtute fretus, ducum suorum impulsu pugnam ciet. Vos pro libertate, pro patria, pro religione dimicatis : cum iis vobis manus sunt conferendæ, quos sæpe vicistis, quos nuper ingenti cum cæde repulistis, quorum cruore madefacta hæc mœnia intuemini. Quæ sane si animos vestros ad certam victoriæ spem non inflammarent, an non rerum nostrarum conditio impellere, an non necessitatis telum urgere debet, quo sæpe meticulosi, repente strenui ac fortes effecti, humanæ fortitudinis fastigium sunt supergressi ? Intra hæc, quæ cernitis, eversa mœnia, dirutos aggeres, complanatas munitiones, nullus receptui, aut fugæ locus : cras, ac perendie in hoc solo vobis aut victoria læta aut generosus obitus manet. Plura dicere parante, militum plausus vocem intercept ; omnes uno ore inclamare : Non verbis, neque imperiis amplius opus esse ; calamitatibus, quæ victis ab hoste immineant, ad acriter dimicandum, fortiterquæ se tuendum, unumquemque incitari : ne ambigeret ; omnes supremos conatus adhibituros, potiusque in frustra se discerpi passuros, quam vel minimum ex stationibus recedant.*

Tertio kalend. augusti, inalbescente die, prævalidæ Turcarum cohortes, omnibus prius dispositis tormentis, verberationum loca scandunt, statimque aggeribus succedunt : acerrime di-

1571

Marci Antonii Bragadeni ad cives & milites adhortatio.

Turcæ ad urbis oppugnationem ruunt.